

N.5.
Q. F. F. S.

DISSERTATIO HISTORICO-
POLITICA,

A T T I L Æ

REGIS, GENTISq;

HUNNORUM

VINDICIAS CONTINENS,

Quam

Consensu ampliss. Facult. Philos.
Acad. Aboënsis,

P R Ä S I D E

VIRO CL.

MAG. A L G O T H O
A. SCARIN,

Hist. & Philos. Civ. Prof. Reg. & Ordin.

Publicæ candidorum censuræ,
qua par est modestiâ, submittes
Alumnus Regiae.

JOHANNES WELINUS, J.F.J.N.

Boreæ Fennio.

Ad diem v Martii, Anno MDCCXXIX.
loco horisq; solitis.

ABOË, Imp. Typ. Acad.

S. R. M.

MAXIMÆ FIDEI VIRO,
SENATORI PRINCIPI,
REGNI CANCELLARIÆ PRÆSIDI
Et
ACAD. ABOENSIS CANCELLARIO,
ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO
COMITI AC DOMINO,

D. ARVIDO
HORN,
MÆCENATI SUMMO.

CELSISSIME COMES,

DOMINE LONGE GRATIOSISSIME.

L

C

N

Ipote luce carer nativa luna
bicornis,
Nec nisi nimboſo veftitur tegmi-
ne, furua;
Sed ſicut Aſopi peregrinis graculus alis
Contegitur; ſecus haud Solis ſplendore re-
fulget :

Sic.

Sic quoqu nostra cupit presens sat sordida
charta
Ex Te, CELSE COMES, sibi conciliare ni-
torem;
Quippe TUO nostrae pendent spiramine Mu-
se,
Solus es illarum Mæcenas, vita peda-
men.

EXCELLENS HEROS alas expande favoris
In fragiles, quæ jam volvuntur ad atria,
chartas.

Et licet haud unguis sapiat mea pagina
morsos,
Limina nec Myrœs splendentia thure va-
porem;
Nam latitat teneris etiam mea messis in
berbis,
Nec poterint verno prorumpere tempore
fruges;
Attamen ad nostros vultus converte la-
bores,
Munera nec parvo levidensia pondere
penfa.

CELSISSIMI COMITIS,

Subiectissimus Servus
Johannes Welinus.

NOBILISSIMO DOMINO,

Dn. CLAUDIO

JÄGERSKIÖLD,

Supremi Dicasterii Aboënsis Consiliario,

PATRONO & PROMOTORI MAGNO,

Patruo benignissimo.

NOBILISSIMO & AMPLISSIMO

ASSESSORI,

Dn. HENRICO

BRENNER,

Bibliothecæ, quæ Holmiæ est, Re-

giæ Præfecto gravissimo, Litterarum

Pubisq; in Fennigia litteratæ

Fautori & Promotori

Certissimo.

Vesta quod heic nostris figantur no-
mina chartis,
Definitote meos grandes mirarier ausus.
Quandoquidem docuit satis experientia
partim,
Ac partim tulerit volitantis buccina fa-
me,
Pegasidū seruos animatos Vosmet in omnes.
Hinc igitur volui penetralia pandere dulcis
Propensig simul, praesente labore, favoris.
Respicitote igitur vultu mea dona sereno,
Neq; leves tenuis chartæ contemnите fasces.

Magnorum Nominum Vestrorum

J. W.

MAXIME REVERENDO atq; AMPLISSIMO DOMINO,

Mag. JOHANNI HAARTMAN,

Philos. Theoret. Prof. Reg. & Ordin.

Philos. Facult. h. t. Decano,
maxime spectabili,

Consistorii utriusq; cum Academicici
tum quoq; Ecclesiastici Adiessori,
longe gravissimo,

Ut nutritio, ita studiorum meorum
Patrono & Promotori magno, hu-
millima devotione & reveren-
tia etatem prosequendo.

*MAXIME REVERENDO atq; AMPLISSI-
MO DOMINO,*

Dn. CHRISTIANO
MELARTOPOEO,

*Dioeceseos & Ecclesiarum Wiburgensis
Superintendenti præcellen-
tissimo,*

Avunculo & Promotori certissimo,

*ADMOD. REVER. atq; AMPLISSIMO
DOMINO,*

Dn. JACOBO
GARWOLIO,

*Pastori Ecclesiarum Biörneburgen-
sium meritissimo , vicini districtus
Præposito gravissimo , Scholæ tri-
vialis ibidem Inspectori accuratissi-
mo, patrono & cuergetæ nul-
lo non tempore devene-
rando.*



Uam grandes validi cumulos confer-
re favoris

Mi voluit tua jam bonitas, Cele-
brande Professor,

Non valeo dignis illud perstringere verbis,

Rebus & in magnis tevidens cannula torpet.

Crebris urgebas etenim calcaribus ausus

Præsentes, stimulus agitan tardare volentem.

Cum quod^s Vesta simul mecum benefacta re-
volvo

Prolixumq^s, mei studium, queis cura sacrorum !

Prætereo quare siccis haud nomina Soccis

Vestraq^s, sed vobis tenerum nunc dedico fatum.

Propterea, Celebris Vir, sacrificolæq^s, verendi ,

Consulitote boni, mea quod mens grata profun-
dit.

Magnorum Nominum Vestrorum

Devotissimus cultor
Joh. WELINUS.

Adm̄d. Rever. atq; Doctissimo VIRO,
Dn. CAROLO WALLENIÖ,
Pastori & Preposito Ecclesiarum, quæ Deo
in Wesilax colliguntur, gravissimo, Fau-
tori quovis officiorum genere
colendo.

Plur. Rever. atq; Doctissimo VIRO,
Dn. ANDREÆ PACCHALENIÖ,
Pastori in Raovesi meritissimo, ut benefa-
ctori ita avunculi loco omni observan-
tia jugiter affi:iendo.

Plur. Rever. atq; Doctissimo VIRO,
Dn. CLAUDIO RENNER,
Scholæ Trivialis Arctopolitanae Rectori e-
merito, ut pridem Praeceptor i diligentissi-
mo, ita jam Fautori certissimo.

Perquam Rever. atq;
Dn. GUSTAVO
Sacellano in Wirmo laudatissi-
jugiter ve-

Pro singularibus in me cumula-
in grati animi testificationem, dat,

TOTUS MUNDO
PUBLIX W. H.

Auctor &

P'ur. Rever. atq; doctissimo VIRO,
Dn. SAMUELI HORNÆO,
Parochiae Euraåminnenfis Pastori lon-
ge vigilantissimo, fautori &
euergete propensissimo.

Plur. Rever. atq; Doctissimo VIRO,
Dn. THOMÆ FORSELIO,
Pastori in Messuby multo vigilantissimo,
Fautor i & patrono optimo.

P'ur. Rever. atq; Clarissimo VIRO,
Mag. SAMUELI HORNÆO, FILIO
S:bolæ Trivialis Uhleoensis Rectori gravissi-
mo, Fautor i non uno nomine
suspiciendo.

Doctissimo VIRO,
PACCHALENIO,
mo, fautori avunculi loco
nerando.

tis beneficiis, præsentem opellam,
dicat, dedicat

Respondens.

CONSPECTUS CAPITIS PRIORIS.

§. I.

De Hunnorum origine varias Scriptorum enumerat sententias.

§. II.

In causas tante apud Scriptores diversitatis, inquirit.

§. III.

Primas Hunnorum sedes indicat.

§. IV.

Fabulas de eorum origine & videndi modo perstringit.

§. V.

Hunnorum expeditiones narrare incipit.

§. VI.

Tempus, quo Attila Hunnorum Rex est creatus, indicat, telamq; rerum gestarum orditur.

§. VII. & VIII.

Cæptam narrationem persequuntur.

§. IX.

Attilæ mortis genus describit.



אָחִי וְנַעֲמָה אֶרְצֵי אֱלֹהִים עַל יָנוּן
וּמְعָשָׂה יְרוּנוּ כּוֹנְבָּה עַל יָנוּן וּמְעָשָׂה
דָּנוּן כּוֹנְגָּרָה

Προσάλιον.



Ommunis isq; pravissimus jam indè à rerum omnium initio mos invaluit, & hodienum vigeat, ut, qui magnitudine rerum gestarum multis parasangis alios antecellunt, eorum assiduò famæ atque gloriæ detrahere non intermittent maligni. Quos enim aperta vi aggredi verentur, illorum virtutem quoad fieri poterit longissimè, venenatis morsibus rodunt, scriptisque & calumniis variis proscindere ni-

A

tun-

tuntur. Proserpuit hæc seculorum omnium Thais, soticusque societatis humanæ morbus tam longe lateque, illa, quæ nunc est, ætate, ut nulla uspiam gens existat, qvam non virulentissima hæc excetra suo inficerit toxico. Hanc talem pestem atq; לְשׁוֹן הַתְּלוּתָאֵר lingue tertie (ut cum Rabbinis loquar) venenosa spicula etiam usq; adeo expertus est bellicosissimus Hunnorum Rex Attila , a) ut summorum Principum vix aliis quispiam reperiatur, qui plebeiorum ingeniorum obtrectationibus magis expositus fuerit. Tanti vero Regis, gentilis licet, integerrimam famam cum ab illo genere hominum, quibus propé solis innoxia per se quaque, flagitiosissima interpretatione corrumpere permisum est, tam fœde exagitatam fugillatamq; videmus, ut laude dignissima illius apud plerosq; , præsertim illos , qui ad Rheticam magis quam Logicam arrebas aures suas habent, eviluerint facinora ; hinc ab officio & æqvitate alie-

alienum nos nihil facturos autu-
 mus, si nomen tanti Herois adeo non
 suo merito, quam eorum, quorum in-
 terest, maligno judicio labefactatum,
 suo, quantum possimus, nitori exi-
 stimationiq; restituere aggressi fueri-
 mus. Quocirca in eo jam sedula de-
 sudabit opera nostra, ut gentem *Hun-
 norum*, præcipue verò Principem &
 Regem eorum si non ab omni
 culpa & humanitatis noxa immunem
 pronunciare possimus, siquidem ho-
 mo fuit, humaniq; ab ipso nihil ali-
 enum censemus; saltem ab oppro-
 brio *Archityranni*, aliisq; vitiis, vin-
 dicare nitamur, quibus ipsi falsò tri-
 butis ex magna gloria non minus in
 posteritate periculum famæ subiit,
 quam si rem per omnia pessimè gessis-
 set. Interim, cum vindicias aggre-
 diemur *Hunnorum* gentis, ignomi-
 nioseq; virtuti alienæ obstrepentib⁹
 picis garrulis obviam ire profligare-
 que conabimur, benevolum Lecto-
 rem, qua par est observantia, roga-
 cum cupimus, ut juvenilia hæcce e-

4

recti, quod spero, ingenii tentamina,
ad levandam fortissimæ gentis invi-
diam, in primis *tendentia*, in melio-
rem velit interpretari partem: quod
si impetraverimus, erit sanè, de quo
nobis in sinu quoq; impensè gratu-
labimur.

a) *Attila a vetere Gothico Athil/ Ethel*
& Edele derivatur, quod ut olim, ita
bodie quoq; apud nos nobilem signi-
ficat. Imo Hungaros suo idiomate
regem hunc Ethele vocasse apud
Matth. Michovium de Sarmat. ali-
osq; legimus. Conf. cod. M.S. Saxon.
biblioth. Christ. Augustæ citat. Pe-
ringsk. not. ad Theod. vit. p. 536.

CAPUT PRIUS HISTORICUM.

§. I.

Antequam vero ad *Attila* vindicias, ejusq; delinenandas res ge-
stas nosmet proprius accinxerimus,
in antecessum nonnihil de origine
gentis Hunnicæ differendum erit,
quò, ejusdem originibus & primis

sc.

sedibus rite investigatis inventisque,
Iuculentius omnibus dispalescat, quot
terras & regiones armis victricibus
pertransierint, quæ suæ fortitudinis
trophæa, in terris longissimo cœlo
remotis, excitaverint. De patria ve-
ro *Hunnorum* perinde atque *Homeri*
vel sexcenta sese apud *Historicos* pan-
dunt sententiarum divertia, adeo ut
tantum non incerti simus, quæ præ
ceteris nobis sit amplectenda opinio.
Nonnulli enim è Germania eos de-
ductos volunt, quidam è Gallia, alii è
Pannonia, è Scandinavia alii & qui-
dem Medelpadia origines eorum ar-
cessunt: Danubium sive Istrum non-
nulli illos primum accoluisse jurant,
alii ad paludem Mæotin antiquitus
habitasse; Scriptores rerum septen-
trionalium in *Chunigardia* aut si ma-
vis *Ostrogardia* sedes eorum primas
constituunt, à qvibus non multum
dissentient, qui è *Sarmatiæ Asiaticæ*
angulo quodam, Cumania dicto, eos
prætendunt egressos: adeo ut Delio
natatore opus sit, si res, implicita tot
sen-

sententiarum involucris, sit quocunque modo ad liquidum perducenda.

§. II.

Mirum procul dubio cuivis videbitur, quod, qui gentium omnium consignavere historias, tam diversas foveant, de prima *Hunnorum* sede, sententias, atq; ab historica veritate, quæ tamen in nulla opinionum diversitate sita est, usq; adeo enormiter deflectant. Verum enim vero si sub justæ considerationis examen rem revocare velimus, deprehendemus facile, id qvam maximè operosum esse, gentes quasvis suis, qvas primitus incoluerunt, sedibus collocaere. Cujus difficillimi & penè frustanei laboris non alia caussa, quam quod pristinis temporibus apud gentes plerasq; si a Græcis & Romanis discesserimus, reipublicæ & notitiæ litterariæ tam deploranda fuerit facies, ut, qvid in orbe præclarè gestum sit ab illis gentibus, apud quas plus pro-

proficeret ignorantia vitiorum ,
 quam in aliis doctrina virtutis , ne-
 mo esset , qvi litteris consignaret ,
 præter religiosos glebæ pontificiæ ho-
 stes , qvi proscriptiones , incendia &
 strages generis humani : verbo ,
 ambitionis & avaritiæ suæ concordem
 plus satis irreconciliabilemq; cum
 republica discordiam **BELLA DOMINI**
 scilicet haberi salutariq; volunt: quæ
 verò , non invita Numinis naturaliç;
 justitia , ipsis retribuuntur ab aliis gen-
 tibus , verbis obterere , & , cum alia
 non possint , diris execrationibus di-
 stringere solent . Quid ? quod fue-
 runt eo dementiæ quoq; nonnulli po-
 puli prolapsi , ut bonas litteras ar-
 tesq; liberales non alto solum super-
 cilio contemserint ; verum etiam ea-
 rundem , vitiorum nomine , culturam
 traduxerint : scilicet cum viderent
 doctoribus , non ad virtutem , sed tur-
 pitudinem potius defendendam effi-
 ciendamq; , inservire , in primis verò
 cives a virilis animi magnitudine ad
 mollitatem & timiditatem seducere .

cum

Cum itaq; rebus magis, quam artib⁹
essent intenti, illisq; gerendis magis,
quam his scribendis operam darent;
hinc quoq; parum vel nihil solliciti
fuere, de originibus suæ gentis, rebus-
que præclare gestis, litterarum lumi-
ne, ad posteritatem transmittendis.
Quo deinde factum, ut, qui longo
post tempore eorum expeditiones &
originem describere sunt aggressi,
passim non acu rem tetigerint, atq;
uno de illis, rebusq; gestis eorū, mo-
do commemoraverint. Accedit &
hoc, quod *Hunnorum* nomen anti-
qvis temporibus sese tam late exten-
derit, ut, a mari Caspiō & Tanai ad
Oceanum glacialem usq;ve, omnes
Scythæ hac notione venirent: quin
etiam Turcæ ipsi & Massagetæ, suo
ipsorum idiomate *Kermichiones*, hodie
verò *Czeremissi* appellati, *Hunnorum*
cognomen neque defugerunt. b)
Hinc cum tot populi tam diversis in
locis degentes fuerint *Hunnorum*
nomine insigniti, facillimē Scripto-
ribus persuaderi potuisse existima-
mus,

mus, ut crederent, iisdem in locis,
quæ nomen præferrent, primam il-
lorum sedem quoq; quærendam esse.
Atq; has in primis caussas esse censemus,
quæ, in investigandis primis
Hunnorum sedibus, Scriptores in tot
& tam procul diffusa sententiarum
divortia distraxerunt.

b) *Georg. Horn. in Arca Noe.*

§. III.

Cum autem omnis historica nota-
tia nostra scriptorum fidei & tradi-
tionibus, non ante partium studio
delibutis, nedum religionis supersti-
tione temeratis, superstructa esse de-
beat, illorum in primis, quorum æ-
tas ad tempora illa, quibus una quæ-
que gesta res est, proprius accesserit;
non ē longinquo prævidere possum
frequentem eorum turbam, qui ro-
tundo ore adseverabunt, in investi-
gandis Hunnorum primis sedibus, o-
leum & operam omnem frustra col-

locari, præsertim historicis, quorum ex fide omnis hujus rei haurienda notitia, nullum invicem globum consensionis facientibus. Sed verò utut omnium eorum placitis plurimum tribuere fas sit; attamen, cum unius rei non nisi unica sit veritas, vitio nobis neq; quisquam dabit, si non omnibus, diversis & sæpe contrariis opinionibus, Andabatarum more suffragari nequeamus; verum illorum solummodo, qui maximè a sublestæ fide abesse, argumentisq; adducti, veritati proximè consentanea perhibuisse videntur. Quicquid sit igitur, cum sensim hominib⁹ luxuriare inciperent olim plagæ orientis, & proinde colonias, sub diversis nominibus, in plagas septentr. (illas gentium insulas) emitterent, cæteror. exemplo populor. Hunnos quoq; ex Asia illa antiquissima & prima gentium vagina prodiisse, non facile quemquam inficias iturum spero. Quo vero tempore sub nomine illo famoso *Hunnorum* orbi primum innotescet

scere cœperint, argumentum dissensi-
onis certe diu multumq; vexatū est;
ad liquidum non facile perducen-
dum, quamdiu de primis gentium
migrationib; ex coævis, justis adeo-
que certioribus, quam quæ hodie
suppetunt, veritatis monumentis
non constiterit. Sunt ex veteribus
plurimi certe, qui, temporibus post
diluvium proximis, cum multiplicari
& diffundi hac illac inciperent ho-
mines magis magisq;, in Sarmatiæ
Asiaticæ regione *Albania* fatores gen-
tis hujus primum subsedisse perhi-
bent, & quamdiu intra primas illas
sedes substitere, *Albanos* quoq; dictos
fuisse: inde etiam, cum temporibus
subsequentibus nova ex se hi iterum
examina mitterent in ulteriora se-
ptentrionalis plagæ, sedes novas so-
litudinesq;, quas tum occupaverant,
originis suæ gentisq; veteri nomine
insignivisse, adeoq; *Maris albi* hodier-
næ appellationi nomen dedisse. ¹⁾) An
vero nomen *Hunnorum* cum gelidam
illam Scythicæ partem primum

im-

12
immigrarent, secum ex mediterraneis
Asiae transvexerint, nil certi dicen-
dum habeo. Mea si sibi quidquam
polliceri audeat quantilla vis judi-
candi, antequam in iisdem ditioni-
bus magna Suevia (Swethiod hin
myðla) a) subsedissent aliquamdiu
coloniae Albanae, & nova ex se iterum
examina in orientem & occidentem
emittere inciperent, vix ac ne vix qui-
dem invaluisse existimaverim in iis-
dem *Hunnorum* appellationem :
quippe quae indolem martie gentis,
belligandi modum, & in hostibus
persequendis summam perniciatem
exprimit. A vetere enim Scythico
hinna, cognomen *Hunnar* descende-
re gnarus linguae & historiae patriæ
quisq; videt e]. Neq; verò Albanis
hisce modo Scythis nomen *Hunno-*
rum tributum ; illis puta, qui exte-
ras terras armis suis longe lateque
pervagati sunt, eqvorumq; festivo,
biberno verò tempore, pedum, soleis
ligneis alligatorum, velocitate, ad
conficiendum improviso hostem e-
gre-

gregie valuerunt g); verum etiam domi eorum, puta vicinis Scandiae regionibus, quicunq; terrestri aut maritima venatione excellerent: omnis que adeo eqvitatus, *Hunnerum nomine h]* in historia & poësi veteri Gotthorum venisse testatur, cum aliis plurimis, in opere Atlantico O. *Rudbeckius senior* seculi superioris polyhistor & antiquarius, etiam ringente invidia, celebratissimus. Illas vero migrationum primiarum gentium, & deducendarum inde quam plurimarum coloniarum vias naturales, licet pro veris & minimè ambiguis agnoverint veterū Scriptorum recentiorumque præstantissimi quicunq;, cum ecclesiastici, tum quoq; profani: licet migrationes Getarum ex *Scandia*, in ulteriorem maris *Sueviae* oram, non vero contra factas esse, e marmoribus & aliis monumentis, non ferro solum sed & calamo exaratis ad oculum probaverint Scriptores cum indigenæ, tum quoq; exteris nescio qui fiat tamen, ut ex cruditis

Gra

Germanis non nulli, sine ratione, aut
solido substructo fundamento, ex so-
la æmulatione gloriae & virtutis Sue-
canæ, suo cum Cluverio errare malint
perpetuo, quam auctoritatem veri-
tatis, longissimi temporis præscriptio-
ne munitæ, illibatam & in columem
relinquere i). Scilicet apposite &
ad hanc rem, ut in cæteris, verè il-
lustris Thomafius: *Est illud miserandum,*
*quod cum homo in rebus non ad se pertinenti-
bus & ubi affectibus vacuus est, facile &*
*sine magno studio & doctrina verum co-
gnoscit, tamen quam primum veritatum
cognitio ad ipsummet & propriam glori-
am felicitatemq; pertinet, ob prejudicia
affectuum, regulariter verum pro falso &
vice versa habeat k).* Hæc de vera o-
rigine gentis Hunnorum delibasse
sufficiat, anilia & falsa, de origine eo-
rum, deliria, sequenti §. recitabimus,
eademque, quod speramus, opera
refutabimus. Quisquis autem de Scy-
thic sive Gotbic sive Hunnic eorumque
& Scandia cæterisq; septentrionalib⁹
oris, veteris expeditionibus certiora
do-

doceri cupit, C. Lundii *Zalmoxin* ^{l)}
 consulat, operæque minime po-
 nitebit. Huic si succenturiatum ve-
 lis virum, si alius quisquam, patriæ
 bono natum factumque *Christianum*
Nettelblad, J. Consultum in Gryphis-
 valdensi Acad. hodie celeberrimum,
 in opere summæ expectationis & di-
 ligentiæ, quod *Die Schwedische Bi-
 bliothec* inscribitur, ad profligandam
 invidiam, collocandamque in seculo
 gloriam gentis Suecianæ, nil amplius
 desiderabis. m)

c) plures & diversas Maris Albi derivatio-
 nes vide in *dissertat. de navigat: in mare*
Album Tegmans, Cap. I.

d) in annalibus Scandianis Sturlesonii ce-
 terisq; Scythia magna in Gautheimum
 eu Asiatricam & Manheimum seu Eu-
 ropeam dividitur, bac vero *Swethiod*
 hin myckla quoq; appellatur.

e) His adde Cl. Nettelblad in opere mo-
 do citato p. 30. & quid in studio etymolo-
 gico observandum, qua aliis preferende
 sint vocabulorum origines, disce.

f) *Callimachus Attilâ, In exercitu ejus, ait,*
pallio

pauci pro numero pedites erant, impellendis enim conturbandisq; aciebus efficacissimum semper putavit Attila equorum impetum, humana insidentis ratione directum.

- g) Procop. Hist. Got. p. 214. Curt. VII. 8. 22
 b) In hist. regum Norveg. (Konga sagorene) sedius mentio fit Dynastarum gentis illius, Thoreri Hunn & Hunsfot bellicae virtute clarissimorum. Cognomen vero illud in contumeliam potius, quam laudem audacie in occupandis hostib; promissimae eributum id sit, non facile fibi persuaderi patietur, quisq; vocabulorum perinde atque locorum veterem formam atq; speciem temporis injuria adulterari crebro solere, secum animo reputaverit.
 d) Confersis Keyslers antiquit. Sept. Sel. p. 102. seq. & qui Keyslero absentem praebet nimium credulus Vir certa eruditissimus Just. Christ. Dithmarus in suo ad Taciti Germaniam pragmatico commentario p. 9. praeipue.
 k) Cautela circa Jurispr. I. 71. 13C. 1. & 2.
 m) Verba, quibus Vir nobiliss. mota cum spernere Wittebergensi controversia de atare

&

*S migratione gentium septentr. colo-
phonem imponit, in rem & sententiam
nostram transcribere non pigebit: Eis
nen stockblinden kan man mit aller
Salbe und Arzney nicht sehend ma-
chen; und der bis dato im schlasse ge-
legen, kan bey erweigung dieser grüne
de schon erwachen, wenn er nur will.*

§. IV.

A pud Historicos admodū multos
utramq; paginam faciunt fabulæ &
narrationes, de origine & moribus
gentis *Hunnice*. Nonnulli affirmare
velle videntur, illos ē sagis & la-
miis per *Faunorum* sive *Ficariorum*
compressum progenitos. n] Quip-
pe cum post *Gothorum* ē *Scanzia* e-
gressum, *Filimer Gandarici* magni fi-
lius, quinto loco per ordinem suc-
cessionis regio muneri admotus, a-
nimadvertisset in populo suo *Alru-*
nas, sive mulieres quasdam magicis
artibus intentas esse, eas tum de
medio sui prosurbatas, ad Garaman-

tas, puta ultimam usque *Thulen* exterminasse dicunt; quas postmodum, in solitudine huc illuc palantes incidisse in Satyras, ibidem fortè oberrantes, imprægnatasq; ab illis demum *Cynocephalos*, id est *Hunno*s fuisse enixas. o) Dicunt eos nullius religionis vel superstitionis reverentia distringi, nec opiparis cibis famem fallere, nec carnibus nisi ferre crudis vesci, quas sua ipsorum vel eorum terga calefecerint: juventorum dorsa apud illos lectorum vicem implere, adeò ut illis insidentes somnum capiant: in liberos recens natos immanni ferocia desævire, mariumq; genas candenti ferro sulcare & adurere, quò ita vulneribus jam indè à cunis & fasciis assuescant; hinc nec juventutem ipsis faciei venustatem conciliare, nec mentum illorum vel in ipso senio barbam & pilos protrudere. Verum cum hæc omnia partim per naturam fieri non potuere, partim etiam, qvod sævitiam in liberos attinet,

net; stare nullo modo possunt, cum
naturali illâ, quam Deus hominum
mentibus altissimè impressit φιλοσοφ-
yiae, servandæq; prolis obligatione,
quam nullo inhumanitatis scelere
septentrionalibus violata in , differ-
tatione publica nuperrimè evictum
fuit: illud etiam , quidquid fuerit
narrationis, liventibus & infestis ob-
trestantium fabulis suo optimè jure
accensemus. Piget in *Jornande Go-*
tho de monstrosa Hellenorum origi-
nine ὁλομηματα καὶ ταπεῖ μυθά-
εις, vanæ mentis deliria ejusmodi
recenseri, & indè Cluverio ejusq; com-
plicibus occasionem datam fugillan-
di, & fabulositatis arguendi fidem au-
ctoritatemq; historici cetera gravis-
simi. Verum si nobiscum reputave-
rimus populorum, omnium propè, o-
rigines, ridiculas & fabulosas cele-
brari veterum monumentis, eosdem
que ad asserendam magis magisque
opinionem divinitatis , incantatio-
nibus magicis & ceteris beneficiis
impense incubuisse: sibi quippe fal-

sò persuadentes , quo in illis exer-
cendis sagaciores essent, eo, cœlestis
ortus sationisq; suæ, cum ipsos semet,
tum alios quoq;, plus convictos effi-
cere posse: vix justior ulla nobis in
promptu caussa erit, cur fidem & au-
dientiam episcopalem nostro deroga-
gerimus , quippe memoriam origi-
nis *Hunnorum* gentis, eadem ad po-
steros fide transmittentis , quâ in
annalibus veterum proditam can-
dem perscriptamq; ipse invenisset.
Ne quid dicam de inimicitiis , qua
Hannos inter *Gothosq;*, præsule apud
hos Sacrorum Historico nostro, exti-
terunt & ad distringendum levi cen-
surâ natales *Hunnorum* , cum virtu-
tem nequiret, eundem facile addu-
cere potuerunt. p)

n) *videsis Sebast. Munsteri Cosmogr. U-*
nivers. lib. III. cap. III.

o) *conf. Jornand. de rebus Get.*

p) *adisis Cl. Nettelblad librum modo cit.*
p. 24. &c. item pag. 20. seq. *Jornan-*
dis fidem historicam pluribus non vin-
dicantem modo, sed egregie insuper
dis

differentem quoq; de veterum ani-
gmatice dicendi & scribendi ratio-
ne, non imprudenter fastidienda.

§. V.

ATq; ita investigatis inventisqve
primis *Hunnorum* sedibus, imò iis
quoq; succinctè traditis, quæ de co-
rum origine & institutis fabulantur
scriptores, ad describendas illorum
expeditiones jam nobis properan-
dum censemus. Circa tempora na-
ti Christi, hi iidem *Hunni*, scripto-
ribus aliis atq; aliis, præsertim Græ-
cis, *Chunni* appellati, innumeris co-
piis *Tanaim* q) transmiserunt, ad socia-
tis sibi CLXX Regibus, qui omnes
in excidium *Scytbiae* inferioris con-
spiravere. Verum hæc ipsorum ho-
stilis, eaque prima in Europam se-
ptentrionalem irruptio, atq; inten-
tata *Cimbris* & vicinis *Scandie* r)
gentibus ruina non ipsis successit me-
lius, quam ut à *Fretone* tertio *Cimme-*
riorum, *Dacorum*, *Getarumq;* [si que
Se.

Saxoni Sialandico fides) archirege
 devicti non terga solum verterent ;
 verum etiam, unà cum omnibus, ul-
 tra Tanaim *Sarmatia*, totaq; in uni-
 versum *Scythia Asiatica*, Regi victori
 parere cogerentur, usq; dum poste-
 rioribus seculis vires iterum recupe-
 rarunt. Quocirca anno CCCLXXIII
 è centum & octo tribubus , decies
 centena & octo militum millia co-
 gentes, *Cadare* judice s), in Euro-
 pam australēm sese iterum iterumq;
 converterunt. Quorum in adventu
 cum *Ostrogothorum* & *Vifigorborum* a-
 pud exterios Rex *Emenricus* obiisset, (â
Saro & *Amnio* t) primoribus dolo
 propterea circumventus, quod eorū
 sororem adulterii & cædis ma-
 riti sui convictam, in vicem pœnæ,
 à quatuor equis in diversas partes
 divulsam curaverit) adeo non mul-
 to labore *Ostrogothos* primum u) ad
 imperium suum obseqviumq; com-
 pulerunt *Hunni*, qvippè apud quos
 civilis æstus & incendium omnia tur-
 baverat. *Vestrogothi* verò cum vide-
 rent

rent consanguineam gentem partim
Hunnico imperio subjectam, partim
 ad extrema *Sarmatiae*, quā maximē
 septentrionem spectat, expulam, in-
 dignē ferentes alienigenam in suis
 sedibus dominum imperio potiri, le-
 gatos ad *Valentem Imperatorem* illi-
 cō miserunt, v] qui *Daciam Mæsiamq;*
 incolendas impetrarent, adjectis ro-
 tundis, de receptione doctrinæ Eu-
 angelicæ, ut & obsequio perpetim
 præstando, pollicitationibus. Quo-
 rum cum τὰς αὐθοῖς accepisset Im-
 perator conditiones, in regiones,
 quas sibi pacto stipulati fuerant, si-
 ne morā immigrarunt, illasq; tan-
 tisper inhabitarunt, dum *Hunni*, ma-
 joris prædæ potestatisq; aviditate
 compulsi, indē quoq; in *Pannoniam*
 cedere eosdem cogerent. Imō illis
 neq; sedibus contenta fors & fortu-
 na *Hunnerum*, cum *Vestrogothos* iterum
 à tergo infestaret, in *Galliam* tan-
 dem, quæ *Hunnica* cluit, ut ab ulte-
 riore hostium suorum impressione
 demum tuti essent, sese subducere
 cos-

eosdem impulerunt. Et licet Romanorum praefectus *Macrinus*, *Pannonia*, *Thracia* & *Illyrico* praefuerit; Hunnorum tamen insultus averruncare nullus valebat. Ne vero suis deesse videretur partibus, ingentes suorum copias undiq; contraxit, castraque ad *Potentianam* urbem, à *Danubio* nonnihil distantem, locavit, nihil suæ parti timens, etiam si *Hunnorum*, ab altera *Danubii* ripâ, frequentes conspersasque undiq; copias consperzerit. existimavit enim *Hunno*s, ne in ulteriorem ripam transcenderent, *Danubii* fluminis interjectu, facile iri præpeditum; utpote qui naviis destituti, portatiles pontes, & huc illuc circumferri idoneos, pro more horum temporum, confidere nescirent. Verum enim verò in utramq; aurem dum dormit *Macrinus*, *Hunni* Istrum tranant, annexis utribus corpora sublevantes. Mox barbaro clamore Romanorum castra replentes, incantos graviq; somno oppressos adoriantur duces atq; milites, eosq;

par-

partim erucidant, partim in fugam convertunt. *Macrinus* verò, ut animum à turbulentō illo rerum statu iterum collegit, convocatam superstitem manū in *Hunnos* educit, virtuteq; usq; adeo obsfīrmata concurrit, ut finitā pugnā, præter illos, quos superiori nocte in perniciem nimia securitas vocaverat, CCX militum millia suorum desideraret. Et quamquam *Hunni*, in eodem prælio, tam truculenta clade fuerint affecti, ut ex illis quoq; centū & viginti qvinq; millia confecta fuerint, vietas insuper manus Romanis dare coacti, non destiterunt tamen proposito expugnandi *Pannoniam*. Quamobrem integratis ex non longā morā viribus, ad *Thulnare* signa cum Romanis conferentes tandem superiores evaserunt; atq; ita pacatas & tranquillas, copiosissimi licet impendio sanguinis comparatas, in *Pannonia* obtinuerunt sedes.

q) *Job. Lyscander comment. antiqu. Danic. X. p. m. 127. & Saxo Gramm. lib.*

V. p. ed. Stephan. 86. seq.

- r) Petrus Salanus de veris & antiquis
Gothor. sedibus p. 25. item Sam. Rog-
berg de memorab. Smaland. p. 24. seq.
- s) Bonfin. Hist. Ung. Dec. 1. p. m. 39.
- t) Callimachi Attila.
- u) Bonfin. Hist. Ung. Dec. 1. Lib. III. init.
- v) Sebast. Munstr. Cosmograph. lib. IV.
cap. III.

§. VI.

ETiamsi sub sex Dueum auspiciis,
quos inter & *Attilam* recensent scri-
ptores, has tales expeditiones susce-
perint *Hunni*; attamen non prius,
si quæ annalibus Hungaricis fides,
absolutam *Attilæ* potestatem in se
concesserunt, quam in tuto & tran-
quillo res suas in *Pannonia* consti-
tuissent. w) Quanquam desint neq;
multi, qui huic reclament senten-
tia, *Attilam* jam anno CCCLXXIII,
nimirum primo irruptionis *Hunno-*
rum in *Imperium*, tempore, Princi-
pem & Imperatorem Martiæ gen-
tis

tis designatum prætendentes. xij
A nostro verò proposito cum alienum sit quam maximè, illam componera litem, præstare videtur
πάντας, quam certi aliqvid hac in re determinare velle. Interim in tam fluxâ & secum ipsa non admundum consentiente Scriptorum fide, si quis nostræ quoq; conjecturæ locus esse poterit, existimaverimus *Attilam* anno plus minus XXX seculi V. idq;
viges. octavo ab *Hunnorum* in *Pannioniam* ingressu, ex illis modò memoratis ducibus, Regem fuisse creatum: data verò sibi absoluta & illimitata potestate, fratrem suum *Budam*, in imperii consortium & societatem admissum, universæ *Scythie Europeæ* præfecisse, tantisper dum ipse imperio Romano, qvam moliebatur, ruinam inferret. Quocirca prope rē & ferociter in *Tbraciā* concessit, ibi q; oppida, *Hadrianopoli* & *Heracten* exceptis, suæ ditionis effecit omnia.
y) Postmodum bello *Illyricum* quoq; sollicitavit, *Graciam* & *Macedoniā* sube-

subegit, *Macrini & Thetrici* hostiles
in se ausus, conjunctaq; adversus se-
met auxilia, in justissimum belli ti-
tulum obtendens. *Constantinopolin*
suum deinde exercitum admovit; ve-
rum cum aditum sibi ab Imperato-
re præclusum subolfecisset, in Pan-
noniam iterum se suasq; copias sub-
duxit.

- w) *ad his Bonfin. in reb. Hung. item Se-
bast. Munst. Cosmograph. lib. IV.*
- x) *Rupert. in Besold. cap XV. & Calli-
machus Attila.*
- y) *Sigonius cit. Joh. Michrello in Syn-
tagm. Hist. p. 414.*

§. VII.

Eadem ferme tempestate, Vandalorum Rex *Gizericus*, cum comperis-
set, *Attilam* belligerandi fervore
effictim flagrare, frigidam ipse quo-
qué suffundens ardori, operam illius bellicam multis muneribus re-
demit, quippé veritus, ne *Vestrogo-*
tha-

rhorum Rex Theodoricus, illatam filiæ
 suæ injuriam contumeliamq; , bello
 aliquando esset vindicaturus. 2) At-
 tila transitum parans per fines Ro-
 manæ civitatis , ne redintegranda-
 rum adversus semet priorum hosti-
 litatum Imperatori ansam ipse offer-
 ret, Legatos cum litteris ad Valen-
 tinianum in Italiā misit, adserens,
 se bellum contra Theodoricum Ve-
 strogothorum Regem suscepisse, un-
 dé Imperatorem vellet exemptum.
 Parili ratione ad Theodoricum, Æso-
 pici in modum felis, ejusdem teno-
 ris alias consignavit, utq; à Roma-
 norum societate non descisceret mo-
 dò, sed & pristina bella renovaret,
 persuadere conatus fuit , non alio
 fine, quam ut eosdem, fœdere ci-
 vilis amicitiæ conjunctos, distrahe-
 ret, distractosq; invicem opprime-
 ret facilius. Cognita verò senten-
 tia illarum litterarum, præsenserunt
 utriq; , eas aliquid monstri alere, At-
 tilamq; suas amborum facultates &
 provincias spe devorare. Quocirca
 con-

conjunctis viribus Hunnorum insultibus obviam eundum censem, aver-
 tendoq; malo instanti, præsentissi-
 ma undiq; auxilia contrahere nulli
 differunt. Adjungebant igitur sese
Vestrogotbis, Romani, Franci, Saxones,
Burgundiones, Alani, Riparioli, Lam-
bones, Sarmata, Amoritiani & Liti-
ciani ad) qui Theodorici & AEtii patri-
cii Romani nutu regebantur omnes.
 Interea temporis, Attila dandis &
 accipiendis consiliis noctes diebus
 adjunxit, nec quidquam, quod ad
 negotium præsens cum adorea exse-
 quendum pertineret, omisit. Con-
 vocatis enim sibi in adminiculum,
 præter auxiliares Ostrogothorum cepi-
 as, quas in suam ditionem paulo an-
 te redegerat, *Marcomannis, Quadi,*
Suevis, Herulis, Turcilingis & Rugiis,
 quingentorum millium bellatorum
 explevit numerum, quibuscum pri-
 mo imperu Regem Burgundionum, an-
 te illius cum AEtio, & Theodorico con-
 junctionem, vitâ copiisq; exuit. bb)
Germaniam cædibus & rapinis com-
 plie

plevit, & quidquid inter Rhenum &
Rhodanum jacet, infestum habuit,
Constantiam, Argentinam, Rhemos, Lug-
dunum, Parisos diripiens. Capta de-
inde *Aureliano*, in illum famosissi-
mum, toto orbe, sanguinis humani
gurgitem, ubi hostes jam ante con-
venerant, CATALAUNICOS puta
CAMPOS, sibi simillimus processit.
In theatro pugnæ constitutus, cum
confluxisse eo videret robora mili-
tum, qui plurimum sanguinei de-
coris pridem factis suis consecuti
essent, alterius instar *Alexandri*,
animo perturbari cœpit, veritus,
ne consilium omne suum fortuna
vinceret, & ex suggestu, quem in-
vidiosè ascenderat, ignominiosè de-
turbaret. Attamen cum jacta jam
esset alea, ut gentis & nominis sui
gloriam, quam desperabat vivus,
moriens vindicatum iret, penitus
& omnino configendum existima-
vit. Cum ergò res à consiliis ad ar-
ma venisset, tandem acriter usque
ad eo pugnatum est utrinq; ut copio-

si.

sissimo sanguinis profluvio, tamquam
torrente quodam, cæsorum cadave-
ra raperentur. Numerus eorum,
qui occubuerant, circiter centum &
octoginta millia utrinq; explevit,
exceptis nonaginta *Francorum & Ge-*
pidarum millibus, qui proximâ an-
te prælium nocte, mutuis vulneri-
bus conciderant. Et licet *Theodori-*
eus Rex hoc in congressu, medios in-
ter hostium cuncos pugnans, glorio-
sè occubuit: *Vestro-Gotbi* tamen ti-
mere nescii, & inter difficillima quæ-
que acrius insurgere adsveti, non an-
te pugnam deseruere, quam victo-
riam hosti eripuissent, justaq; ultio-
ne Regiæ neci gentisq; gloriæ satis-
fecissent penitus, *Attilam* ingenti
clade affectum suis cum copiis fun-
dentes. Ac utut proiectæ jam lu-
cis tempus pugnam dirimeret, illos-
que ad dandum receptui signum mu-
ruo cogeret; *Thorismundus* tamen,
juventutis *Gothicæ* princeps & spes a-
dulta imperii, obitu parentis exa-
cerbatus, gladiatorio ad *Attilam* a-
ni-

nimo viam affectabat, eumq; ulte-
rius persequi non destitisset planè,
nisi à proposito eum revocasset *Ae-
tius*, caussam prætexens, regnum a-
vitum quantocytus occupandum, ne
frater ejus *Valamerus* illum sceptri
hæreditate excluderet. *Attila* verò
cum de se actum planè conclama-
tumq; animadverteret, ad extrema
adactus, de consciscenda sibi mor-
te, ne in hostium manus perveni-
ret, consilia agitabat. Quapropter
clitellas jumentorum sellasq; equo-
rum dorsuarias in unam struem cu-
ravit congerendas, suis injungens,
ut, si quid porrò accideret adversi,
se interemtum rogoque impositum
protinus cremarent. Quò verò tu-
tior ab hoste esse posset, inter car-
rorum septa & ordines se recepit,
dissimulatoq; metu, per totam no-
ctem tubis intonari jussit, atque ita
victus victoribus terrorem non me-
diocrem tamen injecit callidus Im-
perator.

Conferunt Jornand. de rebus Get. cap.

xxxvi.

C

AN

- aa) *Dan. Hartnac. in illustrat. Pet. Lahremberg. Monarch. Rom. p. m. 434.*
 bb) *Rupert. in Besold.*

§. VIII.

IN campis his *Mauriacis* tam fortiter profligatus solito crudelius sanguine videbatur, instar cicadæ, quæ dum alâ corripitur, vehementius stridet & perstrepit. Vastatâ namq; de integro *Galliae & Germaniae*, finibus *Tungrorum* metropolin evertit, simili ratione *Trecas* deleturus, nisi pontificis *Lipi* oratione fuisset delinitus. Hic namq; pontificio habitu instrutus, *Attilæ* occurrit percontans, quis esset, qui urbes everteret gentesque protereret? cui cum *Attila* regeret, *Attilam* se esse Hunnorum regem & flagellum Dei, *Lupus* supplici eum exceptisse fertur voto, ut felix & faustum Domini ad se flagellum adveniret. Tantoperè vero rex responso isto mitigatus summi sacrorum vatis ut rescratis portis per medium urbem mode-

destiā summa exercitum duceret, pullumque ne gallinaceum quidem laederet aut contrectaret. In *Pannonia* indē rediit, attenuatas vires reparaturus, quod dum brevi factum esset, iræ & minarum plenus præsentissimam toti Italiae ruinam interminabatur; magis id adeò, quod *Galliarum* victoriam sibi ē manibus eripuisset *Aetius*. Quocirca anno CCCCLII exercitum per *Noricos* & *Rhetos* in *Italiam* duxit, maximam salebroſi itineris partem jam emensus. Ast cum ipsi renunciatum esset, *Valentiniani Augusti* exercitu aditum *Italie* sibi interclusum, mōx pristina vestigia legens copias in *Illyricum* & vicina reduxit, ibiq; tempore hie-mali *Tragurium*, *Sibinicum*, *Scardonam*, *Salonam*, *Cortinum*, *Argiruntum*, *Vegliam*, *Jadream*, *Segnam*, *Polam*, sive pie-tatem *Juliam*, *Parentium*, *Emoniam*, *Belgradum*, multaq; alia oppida cepit, vastavit, subvertit. cc) Pubescente deindē vere, copias in *Italiam* denuò conuertit, exercituq; *Romano*, *Ter-*

gestino in finu, fugato, per Carnos
 in forum Julii pervenit, & Aquile-
 jam nobilissimam urbem toto trien-
 nio obsedit, tandemq; captam in-
 cendio distrinxit. Quo malo Vene-
 rici sinus accolæ percussi, fugâ salu-
 ti suæ consulentes, ad paludum insu-
 las emigrarunt, Inde Concordiam ca-
 stra movit, quam etiam expugnavit,
 mox Opitergium, Altinum & Patavium
 urbes diripuit, magnamque de illis
 prædam egit. Cumq; Marullus Cala-
 ber, Poëta suæ ætatis nobilissimus, post
 victoriam Pataviensem ad eum veni-
 set, carmineq; in adulationem com-
 posito, Attilam Deum divinaq; stir-
 pe genitum prædicasset, non imme-
 mor illius vulgati: κρετσού εἶναι οὐκ
 ξινοκας ἡ πόλις της περᾶν, melius
 esse corvis, quam assentatoribus ex-
 positum esse, auctorem cum opere
 comburi mandavit. dd) Postmodum
 Veronam sollicitam habuit, illustrem
 circinò urbem, egregioque amphitheatro famosissimam, cui etiam o-
 peris nobilitate placatus pepercit. E-
 adem

adēm tempestate *Brixiam*, *Bergamum*
quin & *Vincentiam* depopulabatur;
motisque castris *Insubres* invasit,
splendidissimamq; *Mediolani* urbem,
Gallicæ gentis tunc temporis caput
incendio delevit. Dum hæc *Mediolani*
geruntur, *Ticinum* jubet obser-
deri, quam cum quidam spe con-
sequendæ clementiæ dedendam sva-
dent, nonnulli pro aris atq; focis
dimicandum, aliis in bivio & anci-
piti animus hæret, nullo negotio
capit. Vastatâ deindé tota *Aemilia*
Ravennam iter carpit, sed *Tonis* Epi-
scopi supplicis & candidati; qvin
& universi popelli precibus, excidi-
um urbis deprecantis, placatus, *Re-
mam* cursum perniciter direxit. Quò
dum pervenit, urbem adoriri decre-
vit; verum cum *Leo* pontifex M. com-
motam ipsi bilem submissis precibus
sedasset, consilia, de urbe delendâ
concepta, re comprobare noluit;
undè factum, ut apud milites jacta-
retur: *baud immerito Leoni cessisse, qui
Lupum in Gallia reformidasset.* Item:

plus

plus apud Attilam posse ferarum nomina, quam hostium armatas acies.

- cc) *Sebast. Munst. Cosmogr lib. IV. cap. 6. Dan. Hartnac. in Pet. Laur. Chron.*
- dd) *P. Callimach. Attila.*

§. IX.

Antequam inde *Attila* stativa morvit, *Honoriam*, *Valentiniani* soror, ultra legitimos annos domi detenta, per eunuchum suum clanculum ab illo impetravit, ut se in thori sociam peteret. Proinde *Attila*, quam primum in *Pannoniam* rediit, *Italicis* exuviis onustus, legatos ad *Valentinianum* misit, qui, si svasionibus & blandimentis nihil proficerent, minis adjectis postulata extorquerent. Interfecto vero tempore, priusquam Legati Româ redierunt, *Hildiconem*, quam deperdite amare occepit, *Batrianorum* regis filiam, sibi matrimonio junxit. Cumq; ipso nuptiali die, mero solutus, sese in lectum resupinasset, somno nonnihil temp-

po-

poris datus, sanguis immodico profluvio per nares erumpens vita-
lium spirituum meatus dormienti,
sine sensu interclusit; postquam æ-
tas illius præter propter CXXIV so-
lis anfractus redditusq; convertisset,
ipseq; regni habenas XLIV annis di-
spensasset. Hic igitur finis erat He-
rois, sine exceptione, maximi, hæ
expeditiones, hæc præcipua facino-
ra, quæ idèò συλληθδν commemo-
rare voluimus, ut æquius, de illius
institutis & vita civili, judicium ferre
possemus. Quamobré taceo quæ mor-
tem illius præcessisse dicuntur por-
tenta, ceteraq; ad nostrum proposi-
tum non præcise pertinentia, quæ
si per omnes περιστατες commemo-
ratur, ultra modū dissertat. academicæ
hoc nostrum ex cresceret opusculum.

CAPUT POSTERIUS

POLITICAL.

Σύνοψις.

§. I.

Tyronni ideam ob oculos ponit, ty-
ran-

- rannidisq; invidia gratis laborare
reges quamplurimos docet.*
- II.** *Attilæ res gestas examinat, nullasq;
in iisdem notæ vere tyrannidis se
offendere indicat.*
- III.** *Superbum titulum, quo Attilam se
jactasse volunt Scriptores nonnulli,
fabulas inter E' mendacia preci-
cipuo loco eminere ostendit.*
- IV.** *Maligna de rebus gestis Attilæ ju-
dicia adversariorum contundit.*
- V.** *A crudelitatis E' perfidiae infamia
Attilam liberat.*
- VI.** *Private vita innocentiam princi-
pis hujus commendat.*
- VII.** *Colophonem tractationi imponit.*

§. I.

Prius verò, quam ad iniqua ini-
quorum hominum, de rebus ge-
stis *Attilæ*, judicia examinanda nos-
met conferamus, in antecessum è
re esse censemus, ut, quod famæ il-
lius

41

lius penitus insedit Archityranni invidiosum nomen, debito modo excutiamus, regiq; nostro quantum conveniat aut inconveniat, indè dispiamus. Cumq; fieri illud possit non aliâ re melius, quam Tyranni accuratâ & in tabellâ quasi descripta imagine, eandem nostro quoq; in præsens instituto salubriter præmittere, in animum induximus. Consistit autem ratio formalis *Tyranni* in eo maximè, ut animum hostilem in propriam modò, modò alienam non raro quoq; rempublicam induat, populumq; ex libidine perversa sua ita tractet, ac si nullo civitatis, nedum humanitatis jure, *DEI sub imperio* cum ipso unquam coaluerint. Quibus apud animum, uti par est, probè pensitatis, manifestum evadet spero, quid sentiendum sit de definitione *Tyranni* Aristotelis, quoque nonnullos actus *Jure Nat.* indiferentes, tyrannidis planè insimulantis, sicubi non ex opinione vulgi recepta, sed ex usu civitatis & iure suo

circa eosdem disposuerit princeps :
quin imò prono, quod dicitur , al-
veo exinde etiam fluere videtur, non
privata humanæ imbecillitatis prin-
cipum vitia, utpoté cum plurimis
civium non rarò communia, nedum
jurium ab externa gente morosam
exactionem omnem , *imperiis* circa
bona & vitam civium rigorem quem
cunq;, criminē & odio tyrannidis
traducendum esse; nonnullorum mo-
re, qvi dum Divinæ iustitiæ legisla-
tionisq; genuini interpretes propé
soli haberi volunt, reges & princi-
pes nescio non cuius impietatis con-
demnare non verentur, quoties aut
humanitatis errore privatim deli-
querint, aut publicè ab *honesto* co-
rum cerebrino , ultima efflagitante
incolumitatis humanæ necessitate, a-
liquando discesserint. Agnovit pro
vero dudum non ignarus rerum ci-
viliū qvisq;, principem, licet exi-
tium civitatis suæ directe moliri vide-
batur , non fæcēt ipsam populi (la ca-
naille du pais) cuius in negotiis pu-
bli-

blicæ rei assiduò delirat vecordia,
neq; ceteros privatim, prudentiores li-
cet, utpote affectuum turbine in
transversum s̄ep̄e abreptos, sibi po-
testatem vindicare posse, rem aggre-
diendi ancipitem & cum periculo to-
tius civitatis conjunctā. Quid dicen-
dum de nefario illorum ausu, q̄i
non singulos, sed integras easdemq;
liberas civitates earumve rectores
ad suum tribunal vocant, eorumq;
imperii administrationem pro im-
perio & privata libidine sua, *tyran-*
nidis postulant, quoties ab *interesse*
eorum falsisq; *divini juris* interpre-
tationibus quocunq; modo declina-
verit. Quam multos veterum prin-
cipum atq; regum plebeja illa sen-
tiendi atq; judicandi temeritas, præ-
sertim plurium in idem decretum
conspirante vecordi censurā, in vi-
tæ incolumitatisq; non præsentanæ
modo damnum longē maximum;
sed & ignominiam posteritatis sem-
piternam adduxit? Damnantur à
politiciis tantum non omnibus *tyran-*
ni-

midis hodie *Nerones*, *Caligula*, *Heliogabalii*, dum præter facta eorum truculenta, apud annalium ejus *xvi* scriptores, plerumq; invidos & factiosos, nil præclarari relatum inventur: habituri & illi principes suos panegyristas, si decenti modo, eorum, quorum intererat, genio propitiato, effecissent, ut benignior affectus scribenda calamo inspirasset. In historia patriâ quem fugit, *Ericos*, *Stenchillos* ceterosq; superstitione religiosos Principes, pietatis suæ & in imperio prudentiæ moderationisq; nomine, præ ceteris celebratos, imò Clericorum cœlo quoq; jam olim locatos esse, quod prætensionem episcoporum, in ecclesiâ pariter atq; republica, supremam potestatem accessionibus & privilegiis confirmaverint sat opimis atq; opulentis. Contra verò *Emundos*, *Carulos*, *Gustavos*, cum accisum irent Clericorum opes, ne in nervum & perniciem reipublicæ nimium quantum accrescerent, *sacrilegos*, *sanguinarios*

&

& publicæ rei prædones. passim & ubiq; ferè ab historicis illorum temporum, utilem magis , qvam veram pietatem professis, nuncupari. De Venceslao Romanorum Imperatore a) ne qvid dicam, quem innocentiae & orthodoxiæ Hussiacæ defensorem strenuum à papizante Clero tyranndis injustè damnatum queruntur, quot quot orthodoxæ Ecclesiæ nomina dedere, perindè atq; illustrem Baconem de Verulamio, Herculem illum Musarum, artiumque, quæ humanitatis sunt, statorem facile principem, Atheos inter referri, æquo animo nequaquam ferre potest respublica litteraria. b)

a) conf. Illustriss. Thomas. Cautel. circa Jurispr. Eccles. cap. 15. §. 19. Verba in hanc eandem sententiam que adfert vir illustris notis in Monzamb. cap. II. lit. z. digna mibi visa, qua heic legantur: Sit princeps parricida, perjurus, mollis, avarus, tollitur in cælum cum Constantino,

si modo Clericum in adulterio deprehensum paludamento suo obtegat, & ubiq^z ei vivat obnoxius; omnesq^z calamitates vel plebi vel hæreticis quibusq^z imputantur. At princeps, si vel tantillum licentia Clericali frenum injicere, aut a receptis opinionibus recedere tentet, et si alias optimus, nullus casus, nulla vis divina occurret, qua non vitiis principis tota adscribatur. Hisce adde orationem Gustavi I. in clerum ceterosq^z Svethia proceres indectivam, habitam in comitiis Arosiensibus A:o 1527. & constabit certe dictis veritas: legitur autem illa in Succana hist. Loccenii lib. VI. pag. m. 253.

b) conf. Morbof. Polyh. litt. I. L 8. 14.
 Quotidie Atheismi multis iniuri notam videmus ab illis, qui innoxiiis sententiis, ubi licitum esse potest divertium, Atheos statim & naturalistas crepant; qua calumnia ue
 nul-

nulla atrocior: ita Christianam charitatem in his, qui temere illam admittunt, plane extinguit.

§. II.

Postquam §. priori, *ac eis oportet*,
requisita illa, quæ tyrannidis definitionem vere ingrediuntur, recensu-
imus, pariterq; , qvam in perniciem
principū multos sæpè armavit præpo-
stera quædam sentiendi & judicandi
temeritas, illa in hypothesi porro ex-
cutienda venit quæstio : *Attila ne*
Hunnorum princeps verè talium Tyr-
rannorum, an verò falsò suspectorum
numerum incurrat? ad qvam ante-
qvam responderi possit, necesse est,
prius indicemus, *tyrannum* heic nos
non eo in significatu, quem olim in-
duebat, accipere, quomodo non *At-*
tilam solum, verum etiam omnes ho-
dienum Imperatores & Reges, qvi-
bus reipublicæ majestas commissa est,
tyrannos posse salutari ambabus lar-
gimur; verum ex hodierno loquen-
di

di usu, talem nos heic intelligere ty-
rannum, qvalem in superiori §. qua-
dantenus descripsurus: talem scili-
cet, qvi rem publicam suam ita ad-
ministrat, qvasi in civium suorum,
totiusque generis humani perni-
ciem natus esse videatur, &
quale generis humani opprobri-
um Attilam fuisse planè pernegamus.
Non diffiteor nomen illius regis o-
lim, quoties mihi obvenit, tantum
injecisse horrorem, ut tam immiti
& in omnem humanitatem sævo re-
gi, summæ crudelitatis notam, cum
aliis, inurere non dubitaverim. Ve-
rum ubi belli originem, mores illi-
us, ut & cæteras circumstantias dili-
gentiori mentis scrutinio rimari cœ-
pi, præcipitis judicii temeritatem il-
licò juxta quoq; animadverti. Quod
si enim principis nostri vitæ imagi-
nem, qualis apud historicos since-
ros expressa invenitur, adspexerimus,
ne volam qvidem vestigium vè inve-
niemus cujuspiam exerciti actus im-
perii, quod tyrannicam illius in
cess immanitatem arguat; quin po-
tius

tius evinulatae in eisdem clementiae
prudentiaeque; in administrando impe-
rio militari, expressissima ubique; com-
parent indicia. Testis enim est *Cel-
limachus* expertae fidei historicus, *At-
tilam* legem vivam gentis suae, stabili-
endo regno rebusque suis, non modo
legibus scribendis incubuisse, ut cives sui
meliores fierent, cum intuerentur quoti-
die, que bene merentibus de communi u-
tilitate proposita essent premia, & que
flagitus pena immineret: verum mi-
lites suos, in armis propere natos & e-
ducatos, ne in otio lascivirent, occu-
pationibus quoque detinuisse perpetuis
& necessariis; ceterarum more Scan-
dianarum gentium, praecipue vero
Sueonum, quorum prudentiam mili-
tarem in eo maximè extollit *Taci-
tus* c. qvod submerint longè, qvi-
bus etiōse armorum manus facile lasci-
virent. Quid? quod tanta illum san-
ctitate reipublicae praefuisse legimus,
ut nihil ferè egerit, qvin primario
eo ipso civium suorum intenderit
compendia atque emolumenta. Et li-

cet fuerit erroneæ religionis, qvippe cui majores & ipsi spissis ac densis in tenebris versantes, nullam ad verum Dei cultum facem prætulerunt; nihilominus tamen pié sentiebat, nullo sanctiori sacrificio Deos piari, quam si justè & beneficè inter homines agitaretur, testante *Callimacho*. Dum autem gerenda sibi suscepit bella, non absq; justis & prægnantibus caussis id factum esse credimus. quippè cum apud *Hunnos*, quēadmodum ceteras Scandina-viæ gentes, in more positum fuisse sciamus, ut divites & principes absque numero, ceteri secundum facultates virium suarum, duas vel tres aut amplius simul uxores habuerint; hinc per illam, qvam tantopere se-ctabantur πολυγαμίαν, sobolem tam numerosam procreabant, ut solum illorum natale, genio non minus suo, quam frigoris asperitate sterile, impar omnino esset tanto hominum numero & multitudini alendæ. quo postmodum factum est, ut in alienas

regiones transmigrarent alimoniam
penuriā & defectu compulsi. Quo
ipso tamen in jus & æqualitatem sta-
tus hominum naturalis, inveteratas-
que diu consuetudines & jura gen-
tium adeò graviter impegnisse non
sunt censendi; siqvidem communio
illa *æqualitatis naturæ* non ipsa so-
lum jus dat liberis gentibus promi-
scue & indivisim rebus utendi, sed
divisionem deinceps factam rerum
quoq; cum suis juribus, vetustissi-
mæ licet præscriptionis, solvit pe-
nitus, necessitatis vi summa urgen-
te; ne qua ex dominio alienæ inhu-
manitatis, vis divinis legibus & ge-
neri humano noxa immineat & ma-
nifesta pernicies. Ne quid de illa
communione dicam, quam extra
necessitatis casum quoq; gentes in-
ter perpetuō existere contendit Clas-
sif. *Bynkershoekius* e) & quā supposi-
tā *Romanos* nullo non tempore alieni
imperii usurpatores regi nostro ad-
versus ipsos bella moventi, salvâ
fronte, reprobrare nequaquam pos-

se speramus solemnia ab ipso gentium jura violata esse: illo praesertim seculo, quo ad occupandas cœderelictas utriusq; imperii Romani provincias undequaque confluenter exteræ nationes, possessionemq; armis partam imbecilliori potentior, eodem acquisitionis & successionis titulo, puta violento, eriperet assiduo. Dux exempla & consuetudines gentium tantum non omnium etiam moratorum facem prætulisse *Attile* & cæteris vicinis gentibus ad solicitandas, indigentiae suæ nomine, exterritorum sedes. Nempe cum Romani & ceteri virtutum doctrinam professi, pro gloria, bella, id est, ostendendæ apud exterorū virtutis suæ instituto, gererent, *eademq;* inter honestas actiones vel præcipuo loco referrent, mitiorem, quam expertæ sunt, censuram se meruisse existimabant barbaræ hægentes, quod, ex crescentem sterili, sed salubri regione sobolem suam ad opulentiores cum gloria querendas sedes, patrio solo ex-

exegerint. Ita vero, si mores populorum contulerimus invicem & statum illorum imaginemur, non ut mores nostri sunt, sed ut circumstan-
tiae illum populum adficientes ad-
mittunt, Attila ad invadendas vi alienas terras necessitate & aliorum
exemplo compulsus, si vel omnes
ceterae deficerent belli movendi cau-
sa, gentium & naturae legis sub umbo-
ne, tyrannidis a se infamiam profli-
gabit. Sed sunt haec caussae migratio-
nis Hunnorum in alienas terras cum
ceteris gentibus communes ferè:
quibus ad ciendam hostilitatem per
se satis validis cum frigidam suffun-
derent ipsi Romani, auxilia hostibus
eorum submittentes f) & de abro-
gando regi imperio cum fratre ejus
clam transigentes g) cuique non detor-
tae mentis apparebit, ad ignominiam
exitiumque a se avertendum, necesse
fuit speciali insuper exsuscitatum fu-
sse Attilam, Romanisq; in perniciem
alieni regni conspirantibus, de amo-
liendâ a suo nomine tyrannidis nota-

ma-

magis laborandum esse. Non me fugit traduci passim Regem nostrum crudelitatis nomine in devictos exquisitissimæ. Idem ab ipso subinde admissum nefas, idq; hodierni orbis bellatorum exemplo, in primis cum ad supplices in obsequio retinendos victoris humanitas nihil proficeret, non negamus: *Alexandro tamen, Augusto ceterisq; claris nominibus antiqui orbis, atrociorem in acquirendo principatu fuisse, pernego penitus: adductus non mitissimo responso solum Ravennensibus dato, cum misericordiam illius obtestarentur; nefas esse humillime supplicantibus non ignoscere, neq; dedecere, potentem virum humanitatis, ut res postulat, habere rationem b) sed & fide & testimonio historicorum præcipuorum, quorum alter i) bellicæ rei cupidum licet, eundem tamen manu temperatum, consilio utilem, supplicantibus exorabilem & in fidem semel admissis admodum propitium testatur. Alter etiam, k) ne filerentur virtutes factis-*

factisq; apud posteros ex sola infamia metus esset, ex opere heroico de Attilæ rebus gestis, in ceteris hos quoq; de Hunnis & rege illorum versus suis annalibus inseruit :

*Fæder a supplicibus donat sternitq; rebelles
Ultra milenos fertur dominarier annos.*

c) conf. Tacit. Germ. c. 44. fin. cui si vis adde P. Bapt. Burgum. Hist. bell. Sueco-Germ. lib. II. c. I. & Gustavum Magnum Suethia Reg. majorum hac quoq; parte exemplum, pulcherrime emulatum esse videbis.

d) Adam. Brem. hist. Eccl. cap. 229.

e) conf. Dissert. de dominio maris.

f) Bonfin. rer. Hungar. III. 1. p. m. 57.

g) Idem pag. 53. med.

h) idem lib. VI. dec. 1. rer. Hung.

i) Job. Magn. Hist. Goth. IX. 1.

k) Aventin. Annal. Bojor. Lib. II.

§. III.

Quò Attilam nostrum brutæ ja-
stantiæ convincant historiographo-
rum

rum nonnulli, scribunt illum, cum Romanum exercitum fugientem vidisset, stellam cadere, tellurem tremere, ingeminasse, seqve non malleum orbis solum venditasse, sed in litteris & diplomatibus, quæcunq; consignaret,

Attilam Mundiziczi filium ♂
Magni Nimrodi nepotem, educatum in Engaddi, Dei gratia, Regem Hunnorum, Medorum, Gothorum atq; Dacorum, pavorem orbis ♂ *flagellum DEI,*
 ipsum semet scriptisse. Sed, qvam hæc à veritate sint remota, paucis dispiciemus. Nempè cum nobis non sit obscurum, patentibus ipsis quoq; rerum Hungaricarum Scriptoribus i) *Attilam* è Noacbi filii primogeniti, Japheti scilicet posteris fuisse oriundum; hinc sibi minimè gentium constare posse, qvisq; perspiciet facile, *Attilam* exordium stirpis sue Nimrodo debere; quippè qui Chami, Japheti fratris minimi nepos

existit; adeo ut posito uno, alterum tolli necesse sit. Neq; ullo modo veritatem sapit, quod dicatur sese in *Engaddi* nutritum atq; educatum scripsisse; quandoquidem certo certius constet, *Engaddiam* non alibi, quam in *Palestina* ad *mare mortuum* sitam, & infra *Hebronem* austrum versus querendam esse. Porro quod ad natales *Attilae cœlestes* attinet, non negamus veterum gentilium principes, ad maiorem sibi in imperio reverentiam conciliandam, modò ab ipsis Diis, quos sibi præfessent, modo heroibus ex illis genitis, mentiri identidem natales suos: quemadmodum ab *Odine* veteri Scandanorum deastro, Reges Suehiæ ad *Emundum Gamul* usq; se proseminalatos gloriabantur omnes. Verum quod ad *Attilam* attihet, non est, quod illam superstitionis vanitatem ipsi gratia affingamus. Præterquam enim, quod modò probaverimus ad *Nimrodum* nullo modo genus illius referri posse, ex antea dictis quoque

constat, adeò deditum illum in
Vate istam assentandi licentiam, ut,
cum se Regem ille, supra sortem hu-
manæ stirpis, attolleret, Rex, in vi-
cēm mercedis, caput ipsius Numi-
nis sui recentem victimam statim im-
molaret. Ut sileam, communī gen-
tium errore, idolatriæ tenebris cir-
cumseptam fuisse religionem illius,
adeò ut unius *Dei gratia* (formula
illis temporibus neq; usitata] Regem
sele tot gentium atque populorum
vix ac ne vix quidem compellare po-
tuerit. Quid? quod in *Media* regi-
one *Perfidis* tunc temporis obscura &
ignobili; neq; rerum unquam po-
titus sit *Attila*, quod ad melius colo-
randa subdola mendacia sua non ob-
servatum regis nostri obtrectatori-
bus, admodum demiror.

I) *Europæas gentes a Japheto descen-*
dere catholicam esse sententiam, ve-
tustissimam & in Sacris litteris fun-
datam V. Löscher in suo Litte-
ratore Celta Tb. X. quoq; agno-
scit:

scit: sed a cuius prejudicatis de
colonis & immigrationibus gen-
tium septentrionalium conjecturis,
de cetero modeste dissentimus.

C. IV.

Sed cum in superioribus promise-
timus, profligata ab *Attilae* nomine
tyrannidis immanitatisq; invidia, fa-
cta illius cætera quoq; examinare;
ut promissi debito nosmet exsolva-
mus, jam ad Zoilorum convitia,
qvibus præclara illius facinora im-
pudenter & sine fronte proscindunt,
contundenda properamus. Primum
igitur nostrum erit, illis qui *Attilam*
injusti fraticidii incusant, ante o-
mnia offam & turundam, qvod di-
citur, in os ingerere. Cumq; cir-
cumstantia rem variare dicantur,
oppidò vereor, ne mastiges illi cen-
soresq; *Attile* maligni, eo ipso, quo
illum perpetrati sine caussa parrici-
dii postulant, *ιν αρχῇ λαμβάνωνται*
sive

sive fallaciam petitionis principii magnificē committant. Nam cum scriptores de caussis, atq; ipso parricidii tempore nimium quantum varient, adeò ut *hi Bledam*, ante *Daciam & Mæsiam* ab *Hunnis* occupatam, interiisse dicant, illi demum post decretoriā in *Catalaunicis* pugnam quidam eo nomine, qvod quā muro cinxerat civitatem, non *Attila*, sed suo nomine *Budam* appellasset, nonnulli, quod mitioris ingenii vir formidolosas *Attila* inhibuisset expeditiones, meritò igitur dubitatur, an fratrem unquam occidendo sanguinis & humanitatis jura violaverit? Debet illud prius discuti problema, quam *Attila* admissi sine caussa parricidii insimuletur. Sed simus liberales, atq; ex adversariorum hypothesi fingamus nobis *Attilam* facinus domi commisisse, fratrique suo manus intulisse, qvid tum postea? undē certò nobis constare poterit, *Budam* nullius conjurationis reum periisse? Quæ *Attila* fuit Numinis reverentia, & justitiæ studium, affatim arguunt, haud innocentem

Bledam confectum, quippe quem, in imperii societatem admissum, per aliquot annos secum dominari frater passus est. Atq; si quæ Bonfinio fides, certum utique, tubam belli civilis existisse Bledam, qui seditiosis moliminibus in Attilam insurrexerat, atq; clam cum Romanis fœdus inierat, quod ex ipsius Attilæ verbis, quem ad populum loquentem introducit Bonfinius, satis superq; colligi potest. Ex quibus hæc pauca excerpemus: Fratrem unicum, quem mihi consortem imperii feceram, ut interficerem, me necessitas adegit. Hac patrevimus, ne sacro sanctæ justitiae numen pernicioſa quadam indulgentia incestaremus. Et paucis interjectis: Romanos tabellarios se per cum litteris intercepti, notis quibusdam obſervis exaratis, quibus hostes multa, & præsertim integrum Scytharum imperium fratri pollicebantur, si a me ille deficeret, aut quavis arte me circumveniret. g) Romanis principibus, præcipue vero illis servorum servis universale orbis dominium fibi arrogantibus idem liberalitatis genus usitatissimum suis-

se, lippis & tonsoribus notum est.
 Quid quid sit, ex dictis spero satis
 apparet, *Attilam*, omnino culpâ va-
 cassę, quod refractario, & imperium
 solitarium affectanti fratri, cerebrum
 commiscuerit. Neq; heic qvicquam
 verba Justini moramur, qui, *in par-
 ricidio nullam satis justam causam ad sce-
 leris patrocinia prætexi posse*, dicit, n]
 cum omnem publicam utilitatem
 privatæ, qvin & ipsi *Philadelphia* an-
 teferendam esse sciamus o) Verum
 id qvidem, quod affectus in tantum
 nunquam odio vincantur, ut non
 ad naturam suam tandem revertan-
 tur. sunt, qvemadmodum corpus i-
 psu, ita quoq; viscera & membra
 quæcunq; nostra nobis tenerrimē
 commendata ; ast prout gangrena
 infectum illud, ne in reliquum cor-
 poris, morbus serpat, excidi jure po-
 test & debet; ita optimum quoq; &
 consultissimum est, seditiosum civi-
 tatis membrum, ne totam destruat,
 è medio tollere ; quod sibi ipsi im-
 putandum habet, si privilegia natu-

ræ perdidérit, & violata nefarie so-
 cialitate, illius legis patrocinium in
 vanum deinceps imploraverit. Ble-
 dae fratris facto quousq; conveniant
 hæcce, porrò dispiciendum. Erat
 ille *Attile* proximus consanguineus,
 qvem piè magis, quam prudenter
 Rex in societatem imperii, fiducia-
 rio jure adsciverat. Ut in illum fra-
 ternæ pietatis justo liberaliorem erga
 se animū altius penetrare posset *Ble-
 da*, omni contentione, prudentia, præ-
 sertim verò fide & integritate munc-
 neris sui præstare debuerat. Non so-
 lum vitam & imperium Regis tueri
 & justis qvibuscunq; modis propa-
 gare; sed & seditiones & conspira-
 tiones in regem & civitatem fortè
 comparatas, sibiq; cognitas, detegere
 & averruncare oportuerat. Quæ ve-
 rò, non dicam civilia, sed & sanguini-
 sis & grati animi officia, cum male-
 ficiis, puta perduellionis criminis
 permutteraverit *Bleda*, ad metam qvam
 respiciebat *principatus*, scelerum li-
 centia anhelando, *Attile* qvis succen-
 se.

sebit, obsecro ! quod fratrem , suo
 beneficio eò sublatum , undè noce-
 se posset, & re ipsa sibi & reipubli-
 cæ suæ nocentem oppresserit, adeo-
 que consilium in posterum nocendi
 tempestive interverterit ? Apposi-
 te igitur admodum *Philippus II.* re-
 posuit illis, qvi ipsi fvaserunt, ne se-
 natus *Hispanici* judicium , de *Carolo*
 filio suo capitali pœnâ afficiendo ,
 tantum urgeret, nimirum, ex natu-
 ra lege se plus filium, quam semet ipsum
 diligere ; ex lege vero Dei salutem popu-
 li filio, & publicam charitatem privata
 antebabere. p] Labia igitur compri-
 mant Romani , *Attilamq;* scommati-
 bus laceſſere desinant, in aliorum vi-
 tiis lyncei, in suis verò talpæ & a-
 spidis instar cœcutientes. *Romam par-*
vicidio dedicatam Hieronymus exclam-
at q) cui adſtipulatur *Florus di-*
cens, primam vittimam Remum urbis
moxa munitionem sanguine suo consecras-
se. r) Consentit *Lucanus*, qvi *Fra-*
serno, inquit, primi maduerunt sanguini-
muri. s) *Quis igitur Romanis*
non

non jure succensabit, aliorum facta
in duram sævitiae interpretationem
detorquentibus, suamq; ipsi senten-
tiam vitæ pravitate dissolventibus?
Sed est illa imbecillitatis humanæ
vis, eorum præcipue, qui libidinum
suarum servi sunt, ut aliorum deli-
ctis, quibus ipsi obnoxii sunt, qua-
si invidenter, gravissimè irasci so-
leant.

m) adiis Bonf. rer. Hung. Dec. I. lib. 3.

n) lib. XVI. c. 1. o) Cicer. off. I.

p) cit. Rupert. in Besold. q) Ep. IV.

r) lib. I. c. I. s) lib. I.

§. V.

Verum Romani ejurati *Attile* ho-
stes his non dum acqvescentes, cru-
delitatis & nescio cuius artis Sino-
niæ ipsum arguere nulli verecundan-
tur; argumenta sibi ex eo emendi-
cantes, quod *Aquilejam* ceterasque
urbes præclaras, per diras longè
flaminas in exitium vocaverit, quod-
que fraudulenter Romanos à *Gothis* se-

jungere allaboraverit. Sed præterquam quod, elumbes hasce sibilisque & sannis dignissimas ratiunculas nominasse, sit simul etiam refutasse, hoc quasi ex superfluo adjiciemus, quod quandoqvidem Romanus populus, inveterato apud ipsum more, regem *Hunnorum* aggressus sit, non *Attila* Romanos, justum omnino fuerit, ut, quod extero regi intrivit, ipse quoque exederet. Cumq; *Aquilejenses* se dedere oblatamq; saepius ab *Attila* fidem accipere noluerint, æquum ergo fuit, expugnatâ urbe, omnia inflamari. quo ipso uti commune omnium victorum jus secutus est *Attila*, ita multum adeò neq; mirandum, si, quæ olim suâ scelerum & cædium pertinacia, nationes tantum non omnes irritaverat *Roma* triumphatrix, clementes & ex sententia victores non ubiq; experta sit ipsa, sub alieno jugo cervices demum submissura. Quanto bellum minoris periculi, tanto mitiorem victoriam eße solere vere testatus est *Justinus*;) nam supplices nibil ab
nib.

nnendo, veniam omnium accipiunt; u) sed quibus surda aures ad utile consilium, pertinacibus armis minus placabilem victorem relinquent fibi & suis. x) Quod si igitur consiliis *Attila Aquileja* ceteraque urbes gessissent morem, felicitatiq; armorum illius non cum supercilie & pertinaciter repugnassent, nullum omnino dubium est, quin, cum *Trecis, Roma atque Ravenna*, clementiam potius quam iram victoris expertae fuissent. Quam facile enim fuerit exorabilis, in superioribus annotare a nobis neque prætermissum est. Alterum verò argumentum, quo fraudis & perfidiae notam *Attilæ* injurere contendunt maligni, suâ sponte evanescit, inq; fumos abit. Cum enim ad oris cordisq; congruentiam, si modò socialitatis ratio minime lèdatur, non semper obstricti simus, & in statu hostilitatis officia & obligationes juris naturalis, utpotè ad socialitatem colendam unice conspirantes, quamdiu cum hoste in nullam gratiam conventum fuerit, expi-

spirare videantur: qvis animi adeo cœcus, ut non videat, *Attilam*, fraudis & doli sine ratione incusari? & si licitum est hostem vitâ privare, qvid obstat, quo minus etiam, missq alii in compendium bello, technis & stratagematibus illum circumvenire liceat? cui enim illud, qvod majus est, licet, eidem etiam, quod minus est, ejusdem generis, licere omnino existimandum.

t) lib. I. cap. 7. 6. u) Tacit lib. II. annal. c. 22. x) idem lib. III. hist. cap. 67.

§. VI.

POstquam ita adversariorum calumniantium ficulnea & non nisi à studiosis partiū congesta argumenta vidi mus, restat ut quædam adhuc, in laudem *private innocentiae* Regis nostri, in scenam prodire jubeamus. Ab *avaritia* & immodica nummorum siti tantum illum abfuisse legimus, ut eos ipsos, more Scytharum majorum suo-

suorum ne rejiculis quidem ramentis unguiumq; præsegninibus dignos putaverit. Quapropter sæpenumerò dicere amabat: *miseros esse mortales*, qui ea carent, quorum in amissione plus doloris sit, quam in possessione, voluptatis. y) Tantum præterea abest, ut laetioribus epulis ad propulsandam famem uteretur, ut etjam, aquâ & plebeja pulte contentus, in publico pranderet. quo singulari temperantiæ documento cives ad nonitos voluit, ut actiones ad suum exemplum componentes, abundantia & profusioni, si quæ ipsis suppeterent opes, nuncium mitterent, frugalitatique ad vitam commodè & honeste transfigendam, studerent impensius. *Virtus illius militaris*, quâ unus ante ceteros sui ævi heroas claruit, tanta omnino erat, ut vel fortissimum adversariorum exercitum non magis, quam ex pelvi fulgura reformidaverit. Quæ illius incomparabilis magnanimitas atq; fortitudo bellica eò admiratio-*ni* *Callimachum* perduxit, ut vix ho-
mi-

minem erederet. Si qua, inquit, hu-
manæ virtutis modum in eo viro super-
gressa videbuntur, relato ad Deos origi-
nis argumento, fidem accipient. Sed licet
talibus virtutibus imbutus fuerit He-
ros noster, adeò ut illas jure quodā
suas fecisse videretur, nihilominus
tamen nominis illius famam livo-
rum colluvies; quantum potuit at-
tenuare tentavit, nihil fere de illo
scriptum relinqens, nisi qvod effre-
nem licentiam, divini pariter huma-
niq; juris violationem redolet. Un-
de prodigii instar haberi meretur
terum Hungaricarum scriptoris Thu-
roez, de *Attila* testimonium, cum:
externarum, inquit, nationum invidiam
exactis per ipsum Regem Attilam vitoriis
condignum praecorii subtraxisse stilum, &
eidem Regi Attilæ gloriam imperialiùs no-
minis demissæ puto: nego per ipsum gesta-
rum rerum in decus quippiam præter illa-
tas miseras, lugubris carminis instar,
scripsisse inveniuntur. 2) Idem qvod ju-
dicavit etiam Albertus Molnarus dicens:
Si Attilæ Homerus aliquis aut scriptor i-

doneus contigisset; rerum ab eo gestarum laudes exsuperarent etiam decantatissimum Regum encomia & opinicia. Quaecunque, enim vel in infessorum ejus hostium monumentis de eo leguntur, bellicam prudentiam, ac plane heroiacam magnanimitatem indicant omnia. aa)

g) videlicet P. Callimach. Attil.

z) prefat. in part. 1. Chron. cit. Rupert. in Besoldum. z) in Lex. Latin. Græc. Hung.

§. VII.

Esset quidem heic amplissimus differendi campus de Attilæ acri & circumspecto ingenio, egregiâ formâ, corpore valido, indefatigabili laborum tolerantia, exacta rei bellicæ disciplina & consilii altitudine summa, qvibus omnibus magis magisq; subditos suos ad gratissima obsequia rededit; bb] verum cum accisæ facultates calamum scripturientem susflaminent, heic jam metam dissertationi nostræ præstituimus, conclu-

den

dentes : *Attilam* è Scandiā oriundum principem, *cc)* non majori verisimilitudine *tyrannis* accenseri, quam *Christianos* generis humani hostes *Nero Imperator* olim pronunciauit. *dd)* Tuam vero humanitatem, amice Lector, modeste rogamus, ne nostram, circa res gestas *Hunnorum regis*, opinionem, a *clitellis* & *sancrorum patrum legendis* abhorrentem, molestæ, ne dicam inconsultæ sed uitatis increpes. Sentiendi judicandi; libertatem a summo Numine inditam meam mihi vindicavi, nullamque sinistris rumoribus fidem habens, ex solenni humanitatis lege, pro *Attila*, ceu bono principe, præsumere æquum & justum putavi, donec aliorum incorrupta fide testium probetur contrarium. Quod si argumentum forte rarioris disquisitionis arrideat, sed fidei ab initio datae Tuæque expectationi nos parum ex voto satisfacere potuerimus, id omnino nostro in censendis regum & rerum publicarum arcanis quantillo iudicio,

cio, in primis vero rei apud nos librariæ, publicè privatimq; curtæ supellectili acceptum referas; quæ quantas in angustias redigere & possit et soleat optima quæq; ingenia, ne emergere possint, & ad eandem eruditio[n]is gloriam, quam exteræ gentes, adspirare, tristi indies meo commilitonumque meorum, ne quid de aliis dicam, exemplo experior.

bb) confer. Bonfinii rer. Hung. dec. cit.

pag. 57. cc) Attilam Gothicum plane nomen esse ex diversa, quæ apud historicos occurrit, & cum primitivo Gothicō plane conveniente scribendi ratione, pagina quarta dissertationis hujus notavimus. Iis si addere velis cippi Runicī (quem Peringskiöldius innotis ad Theodorici regis vitam pag. 467. delineavit, expressamq; Attilæ ad Bessos, [quos Bosnæ incoras facit vir illustris] expeditionis mentionem injicit) antiquam inscriptionem, Regiæ cognationis bo-

morem Tibi, quisquis es popula-
rium, ipsa neq; invidia amplius in-
videbit.

ad) Christian. Martb. Theat. Hist. p.
m. 508.

Tῷ Θεῷ ἀδελφάτῳ διὰ πεντέ
δέξα μεγίση.

Σχάματα, quæ irrepserunt, typog-
raphica, ita emendari debent.

pag. 4. lin. 20. leg. delineandas. p. 11. l.
24. leg. locum. p. 13 l. 5. leg. nomine.
p. 27. l. 4. leg. componere. p. 34. l.
8. leg. variatis. p. 42. l. 23. leg. in prin-
cipem. p. 42. l. 25. leg. viacatur. p. 43.
l. 12. leg. remg;. p. 49. l. 12. leg. ja-
gitius. p. 61. l. 9. leg. quod. p. 37. leg.
amilia.



SONNET.

ON a dit d' ATTILA, Roi grand
Et respectable,
Qu'il fût un des plus grands, et plus
affreux Tirans,
Dans le vaste univers, ses peuples gou-
vernans,
Avecque cruauté, grande, et impi-
teable.

Certains Historiens le disent formi-
dable,
Quelques uns l'appelans L'exemple
de leur temps,
Pour avoir surpassé la fierté des Géants;
D'autres disent enfin qu'il ne fut pas
coupable.

Qui prend encore en main le parti
d' ATTILA ?
C'est vous je l' appercois, cher VELIN.
vous voila;
Par un si beau chemin vous allez au
Paradise.

Sans doute les neuf sœurs, aussi bien
qu' Appollon,

Orneront votre tête, & je dis sans au-
dace
Qu'on vous couronnera dans le sacré
Valon.

JUSLENIUS,
Le Fils.

Eidem.

Scandere dum tentas, mi JANNES,
frater amande,
Pulpita Castalidum, calido tibi pectore
grator.
Insuper & vdeo, dentur tibi prospera
cuncta,
Ut faustam possis studii contingere meo
sam.
Adspiret cæptis claris Deus, atq; secun-
det
Innochos ausus, tibi dez quoq; Nestoris
annos.

Ita Fratri gratulari voluit

CHRIST. WELIN.
Boreæ Fennio.